

P

EFFATA

I. PERFECTIO REI EST IN HOC, QUOD RES AD SUI ULTIMUM PERDUCATUR ¹.

II. PERFECTO ADVENIENTE, NON MANET IMPERFECTUM. Hoc effatum intelligendum est, 1^o si imperfectio pertineat ad rationem rei imperfectae; e. g., cum ad rationem Fidei pertineat esse non apparentium, ipsa cum visione manere non potest; e contrario, « quando imperfectio non est de ratione rei imperfectae, tunc illud numero idem, quod erat imperfectum, fit perfectum; sicut pueritia non est de ratione hominis; et ideo idem numero, qui erat puer, fit vir ² ». 2^o « Intelligendum est de perfecto et imperfecto in eadem specie; non tamen est inconveniens quod in eodem sint perfectiones diversarum specierum, quarum una sit maior altera ³ ». 3^o Si imperfectum et perfectum ordinentur ad idem; ob quam rationem *circumcisio debuit cessare, baptismo substituto* ⁴. 4^o Si perfectio talis sit, ut illi imperfecti opponatur; e. g., *claritas aëris non potest esse simul cum obscuritate eius*; e contrario, « imperfectio luminis candelae non opponitur perfectioni solaris luminis, quia non respiciunt idem subiectum »; et ideo possunt esse simul ⁵. Quare « simul potest aliquid cognosci per medium probabile, et demonstrativum », nam « quod aliquid cognoscatur per duo media, quorum unum est perfectius, et aliud imperfectius, aliquid repugnans non habet ⁶ ».

III. PERFECTUM EST PRIUS IMPERFECTO. Quod effatum ita explicandum est: In diversis perfectum est prius imperfecto non solum *natura*, sed etiam *tempore*; nam id, quod alia ad perfectionem adducit, oportet ut sit perfectum, proindeque ut *tempore* praecedat imperfectum ⁷. In uno

¹ Vid. litt. U. — ² 2^a 2^{ae}, q. IV, a. 4 ad 1.

³ In lib. III Sent., Dist. XIV, q. I, a. 1, sol. 5 ad 2.

⁴ In lib. IV Sent., Dist. I, q. II, a. 5 sol. 1 c.

⁵ 1^a 2^{ae}, q. LXVII, a. 5 ad 2.

⁶ I, q. LVIII, a. 7 ad 3, et q. LXII, a. 7 ad 1.

⁷ Vid. p. 36.

autem et eodem, perfectum est quidem prius *natura* ¹, sed posterius *tempore*, nam ex imperfecto fit perfectum, ideoque imperfectum *tempore* praecedit perfectum ²: « Perfectum quidem est prius imperfecto, in diversis quidem tempore, et natura; oportet enim, quod perfectum sit, quod alia ad perfectionem adducit; sed in uno et eodem imperfectum est prius tempore, etsi sit posterius natura ³ »; quia « motus est de imperfecto ad imperfectum ⁴ ».

IV. PERFECTUM ET IMPERFECTUM AB EADEM VIRTUTE CAUSANTUR, seu, EIUSDEM EST INCIPERE REM, ET PERFICERE IPSAM. Nempe, ut s. Thomas monet, « quando perfectum et imperfectum sunt eiusdem speciei, ab eadem virtute causari possunt; non autem hoc est necesse, si sint alterius speciei. Non enim quicquid potest causare dispositionem materiae, potest ultimam perfectionem conferre ». Hinc sanctus Doctor eos refellit, qui illud effatum in medium afferunt, ut inde inferant hominem per naturalem potentiam posse pertingere ad operationem perfectam, quae est beatitudo. Nam « imperfecta operatio, quae subiacet naturali hominis potestati, non est eiusdem speciei cum operatione illa perfecta, quae est hominis beatitudo, cum operationis species dependeat ex obiecto ⁵ ».

V. POSITA CAUSA, PONITUR EFFECTUS ⁶.

VI. POSITO UNIVERSALI, PONITUR ALIQUA EIUS PARS SUBIECTA. Si enim animal est, illud vel erit homo, vel equus, vel aliqua alia animalis species. Et: POSITO QUOCUMQUE SINGULARI, PONITUR UNIVERSALE. Nam si dicatur aliquid esse homo, vel leo, vel lupo, vel alia animalis species, ipsum animal etiam esse dicendum erit.

VII. POSSIBILI POSITO IN ACTU, NIHIL IMPLICAT. Scilicet: Si id, quod est possibile, ponatur esse, nihil sequitur impossibile. Circa quod effatum ad haec attendamus oportet: 1^o Possibilia, si spectentur quatenus mere possibile sunt, tunc absolute non sunt quidem impossibilia, quia

¹ « Bonum quidem, quod velut in quadam nobilitate est, praecedit; malum autem sequitur »; s. Ambr., *De Nöe et Arca*, c. III.

² Vid. p. 153, 243, et 272.

³ 3, q. I, a. 5 ad 3. Vid. *Natura incipit ab imperfectionibus*, p. 227.

⁴ In lib. III Sent., Dist. I, q. I, a. 4 ad 5.

⁵ 1^a 2^{ae}, q. V, a. 5 ad 3.

⁶ Vid. *Causa in actu simul est cum effectu in actu*, p. 73. Vid. etiam, *Sublata causa, tollitur effectus*, lit. S.

in se spectata fieri possunt, sed quatenus substant decreto Divino, quo Deus statuit ea numquam futura, implicat illa *in actu* redigi, alioquin essent simul et non essent possibilis. 2^o Possibili posito *in actu*, nihil implicat, dummodo ipsum eo modo ponatur, quo est possibile. Hinc successiva, quatenus talia, nequeunt secundum omnes suas partes simul *in actu* esse; sed tantum *successive*. Cum igitur infinitum *in potentia* in eo solum consistat, quod, quolibet dato, alia semper dari possint in infinitum, sequitur ut talis potentia in actu redigi possit tantum *successive*, quatenus, quolibet dato, potest aliud poni in infinitum, quin umquam perveniatur ad aliquem terminum, ac proinde ad aliquid *actu* infinitum¹. Item, ex eo, quod possibile est, ut Petrus non currat, haud licet illud inferre, quod possibile sit, ut dum currit, non currat; nam primum respicit potentiam currendi seiunctam ab actu, nempe *in sensu diviso*, alterum potentiam coniunctam cum actu, seu *in sensu composito*. Quare etsi possibile sit ut futura libera a Deo praevisa, *absolute loquendo*, non eveniant; tamen id possibile non est, si ea, tamquam a Deo praevisa, spectentur.

VIII. POSTERIORA GENERATIONE SUNT PRIORA PERFECTIONE².

IX. POTENTIA COGNOSCITIVA NON POTEST NATURALITER DEFICERE A COGNITIONE SUI OBIECTI³.

X. POTENTIA EST EIUS, CUIUS EST ACTUS, *vel*, EIUSDEM EST POSSE ET AGERE. Scilicet: Potentia in illo est, tamquam in subiecto, quod operationes elicit ipsi potentiae consentaneas. Hinc, cum intelligere et velle non pendeant ab organo corporeo, sequitur ut intellectus et voluntas sint in sola anima, sicut in subiecto, non in coniuncto⁴. Potest etiam per hoc effatum significari, potentiam et actum circa idem obiectum versari: vel etiam, potentiam, et actum esse eiusdem generis, ut iam alibi explanatum est⁵. Monente autem s. Thoma, hoc effatum intelligi non potest, quatenus « quidquid sit causa potentiae, sit etiam causa actus ». Quocirca sophisticum est, *Cuius est potentia et actus. Sed Deus est causa eius, quod est posse peccare. Ergo est causa eius, quod est peccare*⁶.

¹ Vid. s. Thom., I, q. VII, a. 4 ad 1.—² Vid. p. 153, et p. 272.

³ Vid. p. 238.—⁴ I, q. LXXVII, a. 5 c.—⁵ Vid. p. 37.

⁶ Qq. disp., De malo, q. III, a. 1 ad 18.

XI. POTENTIA NON POTEST FERRI EXTRA LATITUDINEM SUI OBIECTI¹.

XII. POTENTIA POTEST NATURALITER FERRI IN ID OMNE, QUOD CONTINETUR SUB EIUS FORMALI OBIECTO. Nempe, dummodo illud, quod sub huiusmodi obiecto continetur, sit proportionatum potentiae². Deus enim clare visus, licet contineatur intra obiectum formale intellectus humani, quod est ens, prout est intelligibile, non continetur tamen sub eius obiecto *connaturali* et *proportionato*³, quod est ens intelligibile per conversionem ad phantasmata; ideoque intellectus noster ut videat Deum, uti est in se, debet elevari a Deo, et per lumen gloriae confortari: « Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est sonus a visu, vel substantia immaterialis a sensu; nam ipsa Divina substantia est primum intelligibile, et totius intellectualis cognitionis principium; sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem eius, sicut excellentia sensibilibus sunt extra facultatem sensuum: indiget igitur confortari intellectus creatus aliquo Divino lumine ad hoc, quod Divinam essentiam videre possit⁴ ».

En quomodo nullo negotio illa exsufflatur ratio, qua Deum, quippe qui maxime intelligibilis est, a mente nostra naturaliter videri ab Ontologis infertur.

XIII. POTENTIA, QUAE NON REDIGITUR IN ACTUM, EST FRUSTRATA⁵.

XIV. POTENTIA, QUAE NON POTEST REDIGI IN ACTUM, EST FRUSTRATA⁶.

XV. POTENTIA, QUAE POTEST MAIUS, POTEST ET MINUS⁷.

XVI. POTENTIA QUO PERFECTIOR EST, EO UNIVERSALIUS HABET OBIECTUM. « Quanto, inquit s. Thomas, aliqua potentia est altior, tanto ad plura se extendit; unde habet communiorem rationem obiecti⁸ ». E. g., sensus *communis* universaliter habet obiectum, quam sensus exteriores; intellectus, quippe qui perfectione excedit virtutem ima-

¹ Vid. p. 238.—² Vid. p. 229, et p. 240.

³ Ibid.—⁴ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 54.

⁵ Vid. p. 146.—⁶ Vid. p. 147.

⁷ Vid. *Qui potest maius, potest et minus*, litt. Q.

⁸ Qq. disp., q. un. De An., a. 13 ad 4.

ginativam, universaliori gaudet obiecto. Iam obiectum universalius, quod potentiae perfectiori respondet, huiusmodi non est ratione praedicationis, sed ratione eminentis continentiae, et causalitatis¹; quocirca ex illo effato haud recte colligi potest obiectum formale Divini Intellectus esse non iam ens increatum, sed ens, quod a creato et increato abstrahitur; siquidem hoc est universalius ratione praedicationis, illud autem est universalius ratione causalitatis, et eminentioris continentiae; haec autem universalitas, quippe quae *actualitatem* praesefert, perfectior est *universalitate praedicationis*, quae in *potentialitate* fundatur.

XVII. POTENTIA TALIS EST, QUALIS EST ESSENTIA. Falsum id est eo sensu, quatenus potentia sit substantia, si essentia sit substantia; compertum enim est potentias rerum creatarum inhaerere substantiae. Effatum itaque significat potentias non excedere conditionem et rationem essentiae, seu substantiae, sed illi respondere, ut cum ab essentia, tamquam a causa dependeant, illam in virtute agendi superare non possint; alioquin effectus praestantior esset sua causa. Hinc omnes res creatae potentia pollent finita, cum ipsarum essentia huiusmodi sit².

XVIII. POTENTIAE MANIFESTANTUR PER EFFECTUS. Circa quod effatum monemus¹ cum Angelico Doctore³, potentiam agentis *univoci* totam manifestari in suo effectu; et e contrario, « potentiam agentis *aequivoci* non totam manifestari in effectus productione ». Ex quo colligitur non oportere, ut infinita Dei potentia manifestetur in hoc, quod infinitum effectum producat; Deus enim non est agens *univocum*⁴; 2^o « virtutem facientis non solum considerari ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi, maior enim calor non solum magis, sed et citius calefacit ». Quocirca « quamvis creare effectum finitum non demonstret potentiam infinitam, tamen creare ipsum ex nihilo demonstrat potentiam infinitam⁵ ».

XIX. POTENTIA, QUAE RESPICIT FINEM UNIVERSALEM, MOVET POTENTIAS, QUAE RESPICIUNT FINES PARTICULARES. Quod s. Thomas explicat exemplo regis; siquidem « rex, quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum

¹ Vid. p. 77.—² Vid. p. 213.—³ I, q. XXV, a. 2 ad 2.

⁴ Vid. p. 147.—⁵ I, q. XLV, a. 3 ad 3. Vid. p. 122-123.

imperium singulos praepositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt¹). Ratio autem effati ab eodem sancto Doctore haec redditur: « Omnis virtus, vel potentia superior dicitur movere per imperium inferiorem, eo quod actus inferioris ordinatur ad finem superioris; sicut aedificativa imperat caementariae, eo quod actus caementariae artis ordinatur ad formam domus, quae est finis aedificativae² ». Exinde perspicitur cur voluntas *per modum agentis* moveat omnes animae potentias ad suos actus, praeter potentias vegetativas, quae nostro imperio non subduntur; nam « obiectum voluntatis est bonum, et finis in communi; quaelibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri³ ». Atque etiam cur *charitas moveat alias virtutes ad operandum*; nam « charitas habet pro obiecto ultimum finem humanae vitae, scilicet beatitudinem aeternam; ideo extendit se ad actus totius humanae vitae per modum imperii⁴ ».

XX. POTENTIAE SPECIFICANTUR PER ACTUS ET OBIECTA. Ea enim, quae suapte natura ad aliud referuntur, necessario sumunt suam distinctionem ab illo alio; quia sicut non habent aliud *esse*, quam *esse* ad aliud, ita non possunt distinguere ab aliis, nisi per aliud⁵. Sed potentiae sua natura referuntur ad actiones vel producendas, vel recipiendas, et actiones ad obiecta, circa quae versantur. Ergo potentiae per actus et obiecta distinguuntur, et speciem desumunt. Sic proinde intellectus distinguitur a voluntate, quod illius actus sit intellectio, cuius obiectum est verum; huius sit volitio, cuius obiectum est bonum; atque visus distinguitur ab auditu, quod huius obiectum sit sonus, illius vero color. Attamen, ut monet s. Thomas⁶, potentiarum distinctio ex obiectis non *materialiter*, quatenus nempe haec sunt res, sed *formaliter* spectatis exoritur⁷: sic visio albi et visio nigri pertinent ad eandem poten-

¹ I, q. LXXXII, a. 4 c.

² *Qq. dispp., De Virt.*, q. II, a. 3 c.

³ I, loc. cit.—⁴ 2^a 2^{ae}, q. XXII, a. 4 ad 2.

⁵ *Qq. dispp. De Ver.*, q. X, a. 9 c. Vid. p. 247.

⁶ *Ibid.*, q. XV, a. 2 c.

⁷ Vid. *Obiectum formale — materiale*, p. 240.

tiam, quatenus sub *formali* ratione visibilis, idest luminis et coloris, a visu attinguntur. Rursus, « diversi actus indicant differentiam potentiarum tunc tantum, quando non possunt in idem principium referri ¹ »; unde, e. g., *apprehendere et moveri* ad diversas potentias, e contrario, *currere et moveri, opinari et credere* ad eandem pertinent potentiam ².

XXI. PRIMUM IN UNOQUOQUE GENERE EST CAUSA CAETERORUM ³. Hoc effatum ubique patet. Sic enim cuiuslibet generis entium Deus, Ens absolute primum, est causa; item, cum sit primum bonum, est fons omnis bonitatis, atque utpote prima veritas, est causa omnis veritatis ⁴. In naturalibus, sol est causa lucis in omnibus astris, quae ad systema solare pertinent ⁵. In artificialibus, prima horologii rota caeteras omnes rapit. In intellectu, et voluntate, prima cognitio, scilicet notitia primorum principiorum, est fons et origo omnium scientiarum; et prima volitio, scilicet amor ultimi finis, est principium et radix omnium volitionum. In moralibus, prima virtus, scilicet prudentia, caeteras virtutes regit et movet. In politicis, prima dignitas, scilicet regia, constituit caeteras, etc. Evidenti autem ratione ipsum effatum evincitur. Natura enim ordinate procedit; atqui ordinis fundamentum constituit dependentia posterioris a priori; atque dependentiae fundamentum constituit causalitas; ergo, ut servetur ordo in rebus, necesse est posteriora dependere a prioribus, proindeque primum in quolibet genere esse causam caeterorum. Exinde patet hic sermonem fieri de primo, cum quo caetera connexionem habent. Unde nec primus Angelorum est illorum causa.

XXII. PRIMUM MOVENS DEBET ESSE IMMOBILE. Omne enim, quod movetur, ab alio moveatur oportet. Iam vero si illud, quod movet, ab alio movetur, et hoc rursus ab alio, ita ut numquam deveniatur ad primum movens omnino immobile, procederetur *in infinitum* in moventibus et motis. At si ita esset, nullus omnino daretur motus. Nam ad quemcumque motum concurrere deberet infinita series moventium et motorum; et ultimum movens non

¹ *Ibid.*, q. XV, a. 1 c.—² *Ibid.*, a. 2 ad 12.

³ *Vid.* p. 110.—⁴ *Vid.* s. Thom., I, q. II, a. 3 c.

⁵ *Vid.* p. 268.

moveret, nisi quia motum ab alio, et hoc ab alio, et ita porro in infinitum. Infinitum autem pertransiri nequit, alioquin non esset infinitum. Non ergo daretur neque primum, neque ultimum movens, ideoque nullus esset motus. Quemadmodum in horologio, si infinitae essent rotae, quarum quaelibet ab alia penderet, nulla posset neque primo, neque ultimo movere, sicque nulla moveretur. Patet igitur 1^o in moventibus et motis deveniendum esse ad primum movens; 2^o hoc debere esse immobile. Ex qua immobilitate primi Motoris optime inferitur ipsum esse Deum. Quod enim est omnino immobile, habeat necesse est omnes possibles perfectiones, nam si vel minima careret, posset eam acquirere, ideoque non esset omnino immobile. Ens autem quod omnes possibles perfectiones actu possidet, cum sit infinite perfectum, est solus Deus ¹. Quoniam autem sensu primum movens dici possit movere seipsum, alibi explicatum est ².

XXIII. PRIMUM MOVENS IN QUOLIBET GENERE EST NON MOTUM IN ILLO GENERE MOTUS. E. g., in naturalibus « primum alterans est non alteratum: Similiter patet de intellectualibus, quia motus rationis discurrentis procedit a principiis ³ »; seu « intellectus ex certitudine principiorum, quibus immobiliter assentit, procedit ratiocinando ad conclusiones ⁴ ». Quod idem effatum enunciari etiam potest hunc in modum: « Primum agens in quolibet genere ita est influens, quod non est recipiens in genere illo; sicut sol illuminat, sed non illuminatur, et ignis calefacit, sed non calefit ⁵ »; vel etiam ita: « Motus omnis, uti paulo ante diximus, ab immobili procedit ⁶ »; cuius ratione s. Augustinus inquit: « Moventur (Angeli) Eius (Dei) imperio temporaliter, Illo non temporaliter moto ⁷ ».

XXIV. PRIMUM PRINCIPIUM ACTIVUM EST MAXIME IN ACTU. Cum enim omne agens, quatenus agens, sit in actu ⁸, sequitur ut primum principium activum sit maxime in actu, nempe maxime perfectum, eatenus enim est ali-

¹ *Vid.* s. Thom., I, q. II, a. 3, et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 13.

² *Pag.* 204.—³ *In 1^a b. III Sent.*, Dist. XXVII, q. 1, a. 3 *sol.*

⁴ *Ibid.* ad 1.—⁵ 3, q. XXII, a. 4 c.

⁶ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XV, a. 1 c.

⁷ *De Gen. ad litt.*, lib. VIII, c. 24, n. 45.

⁸ *Vid.* p. 40.

quid perfectum, quatenus est in actu, quippe quod potentia sine actu imperfecta est¹.

XXV. PRINCIPIA OPORTET MANERE. Ratio est, quia « natura in omnibus suis operibus bonum intendit, et conservationem eorum, quae per operationem naturae fiunt; et ideo in omnibus naturae operibus semper principia sunt permanentia, et immutabilia, et rectitudinem conservantia..., non enim posset esse aliqua firmitas, et certitudo in his, quae sunt a principiis, nisi principia essent firmiter stabilita ». E. g., « omnis specifica cognitio derivatur ab aliqua certissima cognitione, circa quam error esse non potest, quae est cognitio primorum principiorum universalium, ad quae omnia illa cognita examinantur, et ex quibus omnibus omne verum approbatur, et omne falsum respuitur; in quibus si aliquis error posset accidere, nulla certitudo in tota sequenti cognitione inveniretur² ».

XXVI. PRIORI REMOTO, REMOVETUR POSTERIUS. Id quidem tunc evenit, cum posterius ex eo priori tantum sequitur. Quod si posterius ex pluribus consequi possit, tunc non removetur ex eo quod unum ex prioribus sit remotum: « Sicut, si induratio possit fieri et a calido, et a frigido, nam lateres indurantur ab igne, et aqua congelata induratur a frigore, non oportet quod, remoto calore, removeatur et induratio³ ».

XXVII. PRIUS INCLUDITUR IN POSTERIORI. Scilicet in iis, quae de aliqua re praedicantur, semper superiores gradus cum suis proprietatibus includuntur in inferioribus, ut vivens in animali; animal in homine, et homo cum duobus aliis in Petro.

XXVIII. PRIUS NON DEPENDET A POSTERIORI. Nempe in illo genere, in quo est prius; sed potest dependere in alio genere. E. g., substantia, etsi sit prior quantitate, prout est ens, et subiectum, tamen est posterior ipsa, prout est divisibilis, quia proprium munus quantitatis est distribuere in partes, ideoque distribui in partes non potest aliis rebus convenire, nisi per quantitatem.

XXIX. PRIVATIO NON COGNOSCITUR PER PROPRIAM SPE-

¹ Vid. s. Thom., I, q. IV, a. 1 c. Hoc effatum respondet illi, quod n. XXII explicavimus, *Primum movens debet esse immobile*.

² *Qq. dispp., De Ver., q. XVI, a. 2 c.*

³ S. Thom., 1^a 2^{ae}, q. XV, a. 2 ad 2.

CIEM: SED PER ALIENAM, seu, PRIVATIO COGNOSCITUR PER HABITUM, NEMPE FORMAM. « Privatio non cognoscitur, nisi per habitum oppositum; sicut tenebrae cognoscuntur per cognitionem lucis¹ ». Sane, quaelibet res per suum esse intelligitur²; sed privatio, et idem dicas de negatione, cum aliquid *non esse* denotet, non habet *esse* sui proprium, sed ad *esse* rei, cuius absentiam significat, revocatur³: ergo privatio, et negatio non cognoscuntur per se, sed per *esse* affirmationis, ad quod revocantur: « Quia privationes non habent essentiam aliquam, nisi per habitum, in eodem genere esse habent, in quo et habitus, per reductionem⁴ ». Quare terminus, qui refertur ad conceptum privationis, vel negationis, non est non ens, sed ens, quod tollitur, quia intellectus intelligit non ens per ens, cui opponitur. E. g., cum intellectus plantam tamquam *non sentientem* concipit, obiectum, seu terminus huius conceptionis negativae non est *non sentiens*, sed *sentiens*, quod particula negans non tollit.

XXX. PRIVATIO NON EST PER ACCESSUM, SED PER RECESSUM. Sicut enim forma est quaedam perfectio, ita privatio in quadam *remotione* consistit⁵. Hinc sicut quaelibet perfectio iudicatur bona, vel melior esse, prout magis, vel minus accedit ad terminum perfectum; ita de privatione iudicatur per recessum a termino. Quare ex eo quod bonum et melius unumquodque dicitur, prout minus, vel magis accedit ad summum Bonum, non sequitur, ut malum aliquid sit, vel peius, prout minus, vel magis accedit ad summum malum; neque ex eo, quod bona, quae in mundo sunt, ad aliquid, quod est per essentiam suam bonum, reducuntur, etiam mala ad aliquid, quod est per essentiam suam malum, reduci consequitur⁶.

XXXI. PRIVATIO NON RECIPIT MAGIS ET MINUS. Nempe, *secundum se*; sed potest recipere magis et minus ratione eius oppositi, seu ex parte eius, quod remanet de habitu contrario, ut patet in aegritudine, turpitudine et aliis hu-

¹ *In lib. I Sent., Dist. XXXVI, q. I, a. 2 sol.* Vid. *Contrariorum eadem est scientia et ratio*, p. 87-88.

² Cf p. 233-234.—³ Cf p. 231.

⁴ S. Bonav., *In lib. II Sent., Dist. XXIV, p. 1, q. II, a. 1 ad arg.* Cf p. 87-88.

⁵ Vid. p. 207.—⁶ Vid. s. Thom., I, q. XLIX, a. 3 ad 3.

iusmodi¹. E. g., « claudus dicitur magis et minus, quia non totaliter privat virtutem gradiendi; similiter et iniustus magis et minus² ». Quare sermo hic est de privationibus *non puris*³: privationes enim *purae* nullo modo recipiunt magis et minus. E. g., « non minus est mortuus aliquis primo die mortis, et tertio, vel quarto, quam post annum, quando cadaver iam fuerit resolutum⁴ ».

XXXII. PROGRESSUS IN INFINITUM DARI NON POTEST. Hoc praecipue attinet ad causas *moventes*, nempe *efficientem* et *finalem*⁵, atque a s. Thoma passim demonstratur in hunc modum: Si procederemus *in infinitum*, numquam ad primum movens deveniremus⁶; at in iis, quae sunt invicem ordinata, subtracto primo, removentur media, quae a primo dependent; et, subtractis mediis, removetur ultimum, quod a medio dependet: ergo ex processu in infinitum sequeretur ut nec causae mediae, nec effectus ultimus essent⁶. Illud autem monet sanctus Doctor, huiusmodi effatum vim habere quoad causas, quae *per se* requiruntur ad aliquem effectum, seu quarum posterior indiget influxu superioris, ut agere possit, sicut si lapis moveretur a baculo, et baculus a manu, et sic in infinitum: « sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus non reputatur impossibile »; nempe potest dari *processus in infinitum* in causis agentibus, quarum una actuali influxu superioris non indiget ut agere possit, « ut puta si omnes causae, quae in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem, nisi unius causae, sed earum multiplicatio sit per accidens: sicut artifex agit multis martellis per accidens, quia unus post unum frangitur; accidit ergo huic martello, quod agat post actionem alterius martelli: Et similiter accidit huic homini, in quantum generat, quod sit generatus ab alio, generat enim in quantum homo, et non in quantum est filius alterius hominis; omnes enim homines generantes habent gradum unum in causis efficientibus, scilicet gradum particularis generantis. Unde non est impossibile, quod homo generatur ab homine in

¹ I, q. XI, a. 4 ad 1.

² S. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XVIII, p. 2, a. I, q. 4 ad arg.

³ Cf p. 273. — ⁴ 1^a 2^{ae}, q. LXXIII, a. 2 c.

⁵ Vid. p. 284-285.

⁶ Vid. I, q. II, a. 3 c., et 1^a 2^{ae}, q. I, a. 4 c.

in infinitum; esset autem impossibile, si generatio huius hominis dependeret ab hoc homine, et a corpore elementari, et a sole, et sic in infinitum¹ ». Ex quibus tamen verbis intelligitur in causis *processum* etiam *per accidens in infinitum* repugnare, si prima Causa tollatur. Denique in actibus intellectus non est absurdus progressus in infinitum, non quidem *actu*, sed *syncategorematicè*², siquidem intellectus noster numquam tot intelligit, quin plura possit intelligere, atque insuper, cum cognoscit actum suum, aliquo actu illum cognoscit, et iterum illum alio actu³.

XXXIII. PROPORATIO NULLA EST INTER FINITUM, ET INFINITUM. Non potest quidem esse proportio *entitatis* seu *secundum commensurationem*, quia infinitum indeterminate excedit infinitum. « Proportio, inquit s. Thomas, secundum primam nominis impositionem significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem determinatum excessum, vel adaequationem⁴ ». Quocirca, cum de infinito sermo est, non valent rationes et proportiones a finitis desumptae, sed plane alius conceptus est efformandus. Attamen potest dari inter finitum et infinitum proportio *habitudinis*, seu *ordinis*⁵. Proportionis nomen, subdit sanctus Doctor, « ulterius translatum est ad significandum omnem habitudinem cuiuscumque ad aliud, et per hunc modum dicimus, quod materia debet esse proportionata ad formam⁶ ». Hinc illud etiam effatum intelligitur, CREATURA DISTAT A DEO IN INFINITUM. « Verum est, inquit s. Bonaventura, de distantia per recessum ab aequalitate et participatione aeternae naturae; quia nihil univocum est creaturae ad Creatorem, in nullo enim creatura Creatori potest aequari. Sed non habet veritatem de distantia, quae attenditur per oppositionem ad convenientiam secundum rationem ordinis et imitationis. Nam rationalis creatura immediate in Deum ordinatur, et expressissime inter creaturas Deum imitatur; et ratione huius assimilationis et convenientiae habet rationem imaginis, et congruitatem respectu Divinae unionis⁷ ».

¹ I, q. XLVI, a. 2 ad 7.

² Vid. p. 58. — ³ I, q. LXXXVI, a. 2 c.

⁴ *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 1 ad 6.

⁵ Vid. p. 275. — ⁶ *Loc. cit.*

⁷ *In lib. III Sent.*, Dist. II, a. I, q. 1 ad arg. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XVI, a. I, q. 1 ad arg.

XXXIV. PROPRIETAS INTENSIORE EST, CUM APPROPINQUAT SUAE ORIGINI. Hoc, ait s. Bonaventura, « verum est de proprietate, quae dicit naturam et positionem, et de illa, quae habet continuari cum sua origine; sicut est in virtute movente, et luminis effusione. Aliter non habet veritatem, sicut patet; nam candela inflammata ab alia ita bene inflammabit, sicut inflammabat illa ». Quare perperam ex illo effato arguitur, « quod, cum corruptio originalis ab Adam producat, tamquam a fontali principio et radice, quanto aliquis est Adae proximior, tanto originalis culpa sit in eo intensior ». Nam « utrumque deficit in proposito, tum quia illa carnis foeditas plus dicit rationem privationis, quam positionis; tum quia etiam illius foeditatis transfusio est per generationem, in qua generatum primum, et secundum habet eandem vim, quam habebat generans primum¹ ».

XXXV. PROPRIETATUM DELETIO EST NATURAE NEGATIO. Sermo hic fit de *proprio* stricto sensu accepto, quod nempe quartum praedicabile constituit². Porro huiusmodi *proprium* non potest revera a suo subiecto separari. Si enim ab homine tollas, e. g., capacitatem discendi, hominem ipsum necessario sustuleris, quia haec proprietas indissolubili nexu cum hominis natura cohaeret, ab eaque proxime et necessario emanat. Hinc etiam illud:

PROPRIA SUNT SECUNDA NATURAE MOMENTA. Attamen *logice*, seu nostra cogitatione potest *proprium* a suo subiecto separari, non quidem abstractione *negativa*, qua *proprium* de subiecto negatur, sed abstractione *praecisiva*, qua cogitatur unum, non cogitando de altero³.

XXXVI. PROPRIUM PRIMO INEST SPECIEI. Scilicet inest *primo* speciei, tamquam subiecto convenientiae, quia *proprium* maxime emanat ab essentia speciei. Ita homo est primum subiectum *risibilitatis*, quae per et propter hominem Socrati, Platoni, et aliis individuis convenit. At non inest *primo* speciei, tamquam subiecto existentiae. Ita enim *primo* inest, seu *inexistit* individuis, quae reipsa existere dicuntur.

¹ In lib. II Sent., Dist. XXXIII, a. 1, q. 2, ad arg.

² Vid. p. 276.

³ Quid sit abstractio *negativa* et *praecisiva* explicatum est p. 6. Vid. s. Thom., Qq. dispp., q. un. De spir. creat., a. 2 ad 7.

XXXVII. PROPTER QUOD UNUMQUODQUE TALE, ET ILLUD MAGIS. E. g., id quod est ratio diligendi, magis diligitur, quam id, quod propter hanc rationem diligitur. Item: Principia, quae sunt ratio cognoscendi, magis cognoscuntur. Rursus, « Calor est magis in igne, quam in corpore mixto, quia propter ignem est in corpore mixto¹ ». Ut autem hoc axioma veritate potiatur, requiritur: 1° ut ea, inter quae fit comparatio, *formaliter* talia dicantur. Hinc ex eo quod homo est doctus propter philosophiam, non sequitur ut philosophia magis docta sit; nam philosophia *formaliter* non dicitur docta. Quae conditio ita magis explicatur; nempe oportet ut effectus et causae communicent in eadem denominatione, et dicatur unum esse tale propter aliud, non quomodocumque, sed quia illud etiam est tale, ita ut ex denominatione unius nascatur denominatio alterius; e. g., eo quod luna est lucida, quia sol est lucidus, recte infertur solem esse magis lucidum, quia non tantum propter solem, sed etiam propter lucem solis luna lucet, ita ut ipsa ratio, seu denominatio, in qua causa et effectus communicant, sit causa cur aliquid sit tale. E contrario perperam ita arguitur: lapis est albus propter albedinem; ergo albedo est magis alba: sanguis funditur propter sanitatem; ergo sanitas magis funditur: homo intelligit propter species; ergo species magis intelligunt; siquidem haec non communicant in eadem ratione et denominatione, nec enim albedo est alba, neque sanitas funditur, nec species intelligunt². 2° Illud effatum « veritatem habet, si intelligatur in his, quae sunt unius ordinis: puta in uno genere causae. Puta, si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter vitam, sequitur, quod vita sit magis desiderabilis. Si autem accipiantur ea, quae sunt diversorum ordinum, non habet veritatem; ut si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam, non ideo sequitur, quod medicina sit magis desiderabilis: quia sanitas est in ordine finium, medicina autem in ordine causarum efficientium³ ». Item, ex eo quod Deus est causa omnis nostrae cognitionis non sequitur esse id, quod primo et

¹ In lib. I Sent., Dist. XII, q. I, a. 2 ad 2.

² Vid. s. Thom., In lib. III Sent., Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 2, et Qq. dispp., de Ver., q. X, a. 9 ad 3.

³ I, q. LXXXVII, a. 2 ad 3.

maxime a nobis cognoscitur; nam « propter Deum alia cognoscuntur non sicut propter primum cognitum, sed propter primam cognoscitivae virtutis causam¹ ». 3^o Oportet, ut ea, inter quae fit comparatio, huiusmodi sint, ut tuscipiant magis et minus; ob quam rationem etsi pater sit causa *esse* hominis in filio, haud consequitur *esse* hominis magis in patre, quam in filio inveniri. 4^o Illud effatum « verificatur, quando illud, quod convenit alicui propter aliquid aliud, est diversum in utroque ». Quocirca « quamvis Filius habeat a Patre hoc, quod spirat Spiritum Sanctum, nihilominus tamen non est hoc diversum in Patre et Filio, quia eandem virtutem spirativam, quam Pater habet, Filio communicat; et ideo per illam aequaliter Pater, et Filius Spiritum Sanctum spirant. Et si etiam non esset una numero, sed specie tantum, ratio non valeret; sicut patet in omnibus univocis generationibus; non enim pater Sortis plus influit in filium Sortis, quam Sortes² ».

Q

DISTINCTIONES

I. QUALITAS ESSENTIALIS—ACCIDENTALIS. *Qualitas essentialis* est id, quod determinat ipsam rei essentiam, nempe *differentia specifica*, quae proinde praedicari dicitur in *quale quid*³. Hoc sensu *qualitas* latissime sumitur. *Qualitas accidentalis* dupliciter accipitur: 1^o pro omni accidente, quod subiectum suum aliquo modo afficit; hinc *accidens* praedicari dicitur in *quale*, sive *necessario*, si sit *accidens speciei*, sive *contingenter*, si sit *accidens individui*⁴. Hoc modo *qualitas* paulo strictius usurpatur: 2^o Pro certo tantum genere accidentium, quorum nempe proprium est *simpliciter*, seu per se substantiam disponere, sive *modificare*, nempe quatenus eo ipso, quod in substantiam novum modum *essendi* inducit, ipsam *qualem* efficit, puta esse

¹ I, q. LXXXVIII, a. 3 ad 2.

² In lib. I Sent., Dist. XII, q. I, a. 2 ad 2.

³ Vid. p. 174-175.

⁴ Ibid. Discrimen inter accidens *speciei*, et *individui* explicavimus p. 8.

doctum, aut doctrinae expers. *Qualitas* hoc sensu strictissime accipitur, atque constituit quartum *praedicamentum*, quod complectitur *habitus* et *dispositionem*¹; *potentiam* et *impotentiam*²; *passionem* et *patibilem qualitatem*³; *formam* et *figuram*⁴.

II. QUANTITAS CONTINUA—DISCRETA. *Quantitas continua* ea est, cuius partes vincuntur et cohaerent aliquo termino communi, qui nempe nullius partium, quas necit, proprius est, sed finis est prioris partis, et principium posterioris; e. g., linea et quaevis magnitudo. *Discreta* est ea, cuius partes nullum habent nexum inter se communem, sed singulae a singulis seiunguntur, ut numerus, et quaevis multitudo⁵.

III. QUANTITAS DIMENSIVA—VIRTUALIS. *Quantitas dimensiva* est quantitas proprio sensu accepta, seu quae consistit in divisibilitate partium, ac proinde ad substantias corporeas pertinet, et constituit *praedicamentum* quantitatis⁶. Dicitur autem *dimensiva* ob tres dimensiones longitudinis, latitudinis, et profunditatis quas habet; vel *quantitas molis*, quia corporis propria est. *Quantitas virtualis* est quae metaphorice sumta substantiis spiritualibus accommodatur, atque earum virtutem, seu perfectionem significat, vel quoad naturam, vel quoad durationem, vel quoad vim agendi. Sic Angelus hominem excedens in perfectione dicitur habere maiorem *quantitatem virtutis*: in iis enim, quae non mole sunt magna, hoc dicitur maius esse, quod melius est. Sic etiam aequalitas, quae est proprietatis quantitatis, « intelligitur in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, in quantum nullus horum aut praecedat ae-

¹ P. 157-158.—² Vid. p. 261.

³ Vid. p. 253-254.—⁴ Vid. p. 127.

⁵ « Continua porro definiunt, Ea, quorum partes communi aliquo termino copulantur. Nam cum lignum aliquod bicubitum sit, hoc est duos cubitos habeat, unius cubiti finis, et alterius cubiti principium unum est. Cohaerent enim inter se, atque coniuncta sunt, non autem sunt ab invicem divisa. At vero discreta ea sunt, quorum partes non copulantur communi aliquo termino; ut in decem saxis. Nam si quinque et quinque numeres, communem terminum, qui copulet, nullum invenies. Etenim si aliquid dederis, quod inter quinos et quinos medium interponatur, iam fiunt undecim, et non decem »; s. Damasc., *Dialect.*, c. 49.

⁶ Vid. p. 265-266.